



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXIV. Argumentum. Referuntur rationes ex Jure Divino, naturali, Ecclesiastico, ac Civili; ob quas Filii tenentur honorare Parentes, ac genitores suos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

velle, ut ejus sit, super quem fors ceciderit; quod quidem licite fieri potest, cessantibus fraudibus, imò talis *Lotheria* spectat ad virtutem *Eutrapeliæ*, ut docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 168. *art.* 2. *Azor. par.* 3. *lib.* 5. *cap.* 27. *quæst.* 5. *Bonacina de Contract. d. tom.* 2. *disput.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 4. *num.* 26. & *Sanchez consil. Moral. lib.* 1. *cap.* 8. *chub.* 36.

Altero modo fit *Ludus* iste, qui appellatur *Lotto*, quando plures pretiosæ res proponuntur, cum numero magno *syngropharum*, *symbolarum*ve, vulgò *bollettini*, infimo pretio pro extrahitione singulorum à quocunque facienda determinato, cum hac conditione, ut cui fors dederit extrahere *syngropham* signatam numero præmii, seu rei pretiosæ in libro descriptam, dicta res detur, ac tradatur, sed in determinatione numeri *syngropharum*, seu *bollettinorum* Auctoritas publica debet requiri, ad effectum, ut iustus numerus concedatur habito respectu ad valorem & pretium præmiorum expositorum; nec non ad expensas ministrorum, qui durante *Lotheria* debent assistere, & quotidie signo publico claudere, & obsignare urnam, ne novæ *syngrophæ* albæ imponantur, seu descriptæ in signum præmiorum auferantur, & invigilare, ne fraudes committantur, & quibus fors fausta arriserit, præmia sorte extracta consignentur. *Molina de Justit. & Jur. disput.* 509. *Cardin. de Lugo eod. tract. disput.* 31. *num.* 91. & 92. ubi alios allegat, & *Diana part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 81. quæ in *Coordinato* est *tom.* 6. *tract.* 3. *resol.* 125. Qui omnes DD. notant, quod præcepto *Judicis* debeat taxari numerus *symbolarum*, seu *syngropharum* in urna oculendarum habito respectu ad valorem rerum pretiosarum, quæ sunt forti extrahentium propositæ: sique cautum fuerit, ne fraudes committantur, licitus erit hujusmodi *Ludus*, seu contractus appellatus *Lotto*.

Porro quicquid sit circa honestatem & justitiam ejus, certum est, *Reipublicæ* parum prodesse, imò nocivum reperiri; tum quia pauperes homines viri, & mulieres, spe sortis bonæ illecti, exhaustiunt suppellectilia, quæ domi habent; & modicum æs, quo filiis panem forent empturi, frustra projiciunt, adversam semper sortem in *syngrophis* extractis reperientes; unde fit, ut plurimi ad maledicta se convertant, blasphemias proferant, & tristes de malo exitu conjuges ad rixam, & verbera descendant; etiam ad uxoricidia, ut recens memoria in hac urbe testatur. Quapropter cæteris prudentius scripsisse videtur *Mart. Delrius dict. lib.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 2. ubi observavit, *Ludum*, seu contractum hunc periculosum esse, nec debere à Principibus permitti ob facilitatem collusionum, & fraudum; concludens ibidem, quod longè tutius sit, & securius tum *Reipublicæ*, tum *privatis*, hoc secundo (*Lotti*) genere relicto, prius tantum exercere. Et ita respondere debet *Confessarius* non solum pœnitenti, sed etiam *Judici*, ac *Magistratui* sciscitanti, an liceat exponere mobilia pretiosa contractui, qui vocatur *Lotto*:

Qui plura de *Lotto* scire desiderat, legat *Baldellum tom.* 2. *lib.* 4. *disput.* 6. *n.* 14. ubi de eo agit, & in fine ostendit, quod qui fraudem commisit in hoc ludo, seu contractu *Lotto* appellato, teneatur facere restitutionem; adeo ut iterum convocentur omnes, qui pecuniam dederant, ad iterum extrahendos *bollettinos*,

D E C I S I O LXIV.

D E C I S I O LXIV.

A R G U M E N T U M.

Referuntur rationes ex Jure Divino, Naturali, Ecclesiastico, ac Civili; ob quas Filii tenentur honorare Parentes, ac genitores suos.

S U M M A R I U M.

1. Filii quadruplici jure obligantur honorare Parentes.
2. Jus divinum præcipiens honorare parentes, quid intelligat pro ly honorare?
3. Præmium, ac punitio filiorum honorantium parentes, vel non.
4. Natura obligat filios honorare genitores ob tres rationes.
5. Ciconia pascunt parentes suos decrepitos.
6. Religionis ingressus denegatur filiis habentibus genitores egentes.
7. Professus potest vivere extra claustra, ut subveniat suis genitoribus.
8. Parentum inhonoratio delictum atrox.
9. Casus reservatus est contumelia genitores afficere.
10. Exhereditatio filiorum à Jure statuta ob 14. causas ingratitude.

Quia Parochi compellati fuerunt, ut colligerent, ac narrarent: Quibus rationibus gnati suadendi sint, ut honorarent parentes?

Dilectum fuit, rationes desumendas esse è quadruplici Jure tanquam à quadruplici fonte; videlicet à Jure Divino, à Jure Naturali, à Jure Ecclesiastico, & à Jure Civili.

In Jure Divino tres habentur rationes. Prima est Præceptum à Deo Optimo Maximo cunctis filiis propositum, quibus præcipiendo dixit, *Exod.* 20. 12. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Honoris autem appellatione quatuor continentur. Dilectio, Obedientia, Reverentia, & Subventio in necessitatibus. *Catech. Roman. part.* 3. *De Quarto Præcepto Decal.* Secunda est præmium gnatis Parentes suos honorantibus promissum; nam *Sicut, qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam. Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, & in die orationis sua exaudietur. Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore, & qui obedit Patri, refrigerabit Matrem. Et benedictio patris firmat domus filiorum; Eccl.* 3. *num.* 5. & seqq. Tertia est severa punitio; quandoquidem Maledictio Matris eradicat fundamenta. *ibid.* *num.* 11. Et Oculum, qui substat patrem, & qui despiciat partem matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii Aquilæ. *Prov.* 30. *num.* 17. Et hic narranda exempla filiorum, quos ultio divina ferit, & celeri, ac ignominiosa morte punivit, tanquam parentum contemptores; ut videre est apud Ecclesiasticos auctores, & præcipuè P. Nierimbergh. in *Praxi Doctrinæ Christianæ* in *part.* 2. ad quartum Præceptum *Decal.* apud *Matthæolum* in *Sylv. Histor. lib.* 6. *cap.* 1. *tit.* 23. & 24. apud *Steph. Menochium Seniore Centur.* 1. *cap.* 53. & *Cent.* 4. *cap.* 86. In *Vita B. Stanislai cap.* 14. ubi filiolum Dæmones obsederunt, Matre imprecante: *Veniant in te diaboli.*

In Jure Naturali tres pariter reperiuntur rationes. Prima ob generationem: Secunda ob educationem: Tertia ob instructionem. *Jannarius Episc. Veglen. in Quartum Præceptum Decal.* à *num.* 342. & seqq. Hinc scriptum est: Ho-

nora patrem tuum, & gemitus matris tuae ne obliviscaris. Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis, quomodo & illi tibi. Eccl. 7. num. 29. Et Tobias moriturus aiebat filio suo: Honorem habebis matri tuae omnibus diebus vitae ejus; memor enim esse debes, quia & quanta pericula passa sit propter te in utero suo. Tob. 4. num. 4. Testantur hanc veritatem Ciconiae, quae parentes decrepitos pascunt. Ugo Cardin. in 2. Cor. 13. & alii apud Episcop. Veglen. ubi supra num. 376. & 377. Et gentiles ipsi lumine naturali id agnoverunt, unde scripsere, quod Pari vindicta Parentum & Deorum violatio expianda foret. Val. Max. lib. 1.

6 In Jure Ecclesiastico duae extant fortissimae rationes, demonstrantes obligationem filiorum erga parentes suos. Una est, quod, si sint in necessitate, & egeant sustentatione, filii non possint ingredi religionem. cap. Si filii, dist. 30. S. Th. 2. 2. quæst. 101. art. 4. ad Quartum & quæst. 189. art. 6. Cardin. Tolet. lib. 5. cap. 1. num. 5. Etiam si haberent Votum ingrediendi. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 5. num. 16. & Sanchez in summa Decal. lib. 4. cap. 20. num. 3. & 8. & adeo Jus Ecclesiasticum præfert obsequium patris, & matris obsequio Divino, & assumptioni Religiosi habitus, ut, etiam si necessitas parentum superveniat post factam à filio professionem, adhuc ei concedat exire, ut parentibus subveniat. Sanchez ubi supra à num. 14. & seqq. Castropalaus part. 3. disput. 2. punct. 2. §. 6. num. 5. & num. 9. ubi hanc reddit rationem: Quia obligatio filii, comparatione parentis, est ita intrinseca & naturalis, ut non videatur ab ea eximi posse ob statum perfectionis assumptum: censendus enim est assumi salva hac obligatione.

8 Altera ratio est, quod idem Jus Ecclesiasticum reponat inter atrociora, & graviora scelera inhonorationem parentum: Probatur hæc ratio ex eo, quod Sacrum Trident. Concil. Sess. 14. de Penit. cap. 7. declarat, inter casus referendos Episcopis non nisi atrociores, gravioresque numerari, quod & olim fuisse servatum constat ex cap. penult. & Glossa ibi de Penit. in 6. & Clem. Dudum. §. Per hujusmodi. de Sepultur. & docet Squillant. de Obligat. & Privileg. Episcop. part. 3. cap. 21. num. 1. & 2. Porro in casibus referendis Episcopo tum in pluribus Diocesibus (quarum Synodos legi) tum in hac Patavina Ecclesia, primus est Blasphemia in Deum, Deiparam, & Sanctos; Secundus vero est Percussio parentum, & quavis gravis actualis injuria, atque gravissima verbalis contumelia, ut ex pagella casuum reservatorum constat, & ex hoc desumitur, post gravissimum blasphemiz scelus, ceteris majus esse illud, quod filii inhonorantes parentes suos factis, aut verbis patrant; ac propterea, ubi Parochi in concionibus suis arguere, & insistere studuerint in hoc argumento, suos reddent gnatos, ut abstineant à tam gravi piaculo, & parentes suos impensius honorent.

10 In Jure tandem Civili unica, sed potentissima est ratio, videlicet exhereditatio liberorum à legibus concessa parentibus, in pœnam eorundem filiorum, qui aliquam ex quatuordecim causis ingratitude exerceverint contra parentes. Auth. Non licet. C. de liber. prater. cap. 3. Auth. Ut rum de appellat. cognosc. ubi dictæ causæ referuntur, & easdem recenset Nicolius Lucubrat. Civil. lib. 2. tit. 13. in princip. num. 3. Quæ omnia amplissimam offerunt materiam Parochis, Con-

cionatoribus, aliisque piis viris, ut rationes desumant ad communiendam reverentiam, obedientiam, & honorem, quem debent filii parentibus suis; præter auctoritatem, & sententias Sanctorum Patrum, quas invenient in Catechismo Romano ad d. 4. Præcept. Decalogi, & in Horto Pastor. in eod. quarto Præcepto.

DECISIO LXV.

ARGUMENTUM.

Declaratur Quid, & Quotuplex sit Censuræ? & quæ, & quot conditiones sint in eo servandæ ut sit licitus? præcipue ex Bulla S. Pii V.

SUMMARIUM.

1. Censuræ quid sit, & ejus definitio?
2. Censuræ divisio, & quotuplex?
3. Censuræ fructuarius solvendus in area, non ad domum creditoris.
4. Pensio pecuniaria solvenda est per debitorem ad domum creditoris.
5. Censuræ vel realis, vel personalis, vel mixta.
6. Conditiones quinque necessariae in Censuræ ob ejus naturam.
7. Fundus si pereat, in quo fundatus est Censuræ, perit etiam Censuræ.
8. Censuræ à quibus personis contrahi non possit?
9. Constitutio S. Pii V. super creatione Censuræ.
10. Ejus non usus allegari non potest: Requirit 12. conditiones.
11. Conditiones Censuræ ex Bulla Piana an omnes de essentia?
12. Carmina complectentia conditiones Censuræ.
13. Notarius scribens contractus Usurarios peccat mortaliter.

Post tractatum de Usuris, quia hæc solent committi etiam in Censuræ, ideo Primò quaeritur. Quid sit Censuræ?

Concordant omnes scribentes in responsis ad hoc quaesitum, dicentes: Censuram nihil aliud esse, nisi Jus legitimè percipiendi pensionem aliquam super re alterius immobili, utili, & fructifera. Censuræ de Censuræ part. 1. cap. 1. quæst. 3. art. 2. & Mastrius in Theol. Mor. disput. 5. num. 95. Dicitur Jus, quia qui censuram acquirit (nempe Censuralista, vel Censitor) nullum dominium habet rei, super qua censuræ est impositus, sed Jus ad exigendam pensionem annuam à Censuario, id est, rei illius domino. Dicitur Legitimum, ad denotandas conditiones justas, & formalitate legales servandas in constitutione Censuræ, præcipue attentæ Bullæ S. Pii V. de quibus in tertio quaesito. Dicitur Pensionem aliquam, sive in pecunia, sive in fructibus, puta tritico, oleo, vino, & similibus. Dicitur Super re alterius, quia Censuarius, assumens onus solvendi censuram, remanet dominus fundi, super quo Censuræ constituitur. Dicitur, Immobili, Utili, & fructifera, quia neque super re mobili, neque super fundo infructuoso, seu sterili Censuræ potest creari, sed opus est, ut res immobilis sit, & tot fructus annuatim saltem colligantur ex fundo, quot sufficiant ad solutionem censuræ; ut docent supradicti omnes DD. præcipue ex forma Constitutionis Piane, & dixerunt infra studiosi nostri ad sequens Quaesitum.